

nacei pariter esset aculeatum ac corium suum. Fructum mori albæ aculeatum transtulit in fructum Chamemori aculeatum (taggede stachlichte muldebær) qui tamen quantum scio aculeatus non existit. Ex leone adscendente (cujus circiter figuras cochlea exhibet) fecit leonem mugientem vel murmurantem (den murrende löve) quasi ejus murmur ex testa exaudiretur etc: etc: Hac occasione tornator aulicus, qui præterea magnam faciem præ se ferre amat, credebat, se optimam occasionem accepisse se magnificandi: Jussu licet secreto habendo, is tamen neminem sinebat ignorare, se jussu aulico meum opus mutare et denuo elaborare debere. Perpendas quæso, quam honorifica mihi talis coram publico poterat esse relatio et fama. Exsecratam meam facilitatem suscipiendi laborem, cujus ipse non esse poteram monarcha, et cujus approbatio ex tot differentis gustus aulicorum judicio et arbitrio pendeat. Conquerbar apud Tutorem operis de opprobrio mihi hac occasione illato, cum ipse potuissem delere et mutare, quæ ad nutum aulæ fuissent delenda et mutanda. Addebam: Tua scripta ipsa, tanquam principiis Naturalistarum non a censoribus invidis et cavillatoribus intacta remansisse, immo aliquot tomos controversiarum contra Te prodiisse. Inde vero famam Tuam non solum non esse imminutam, sed potius auctam, et multo minus aulam suecicam umquam jussisse ut opus tuum per alios immutaretur, sed hoc Tibi soli semper fuisse relictum. Sed periculosum est ostendere (per literas hoc feceram) se per voluntatem aulici esse læsum. Non solum nulla responsio vel ulla mutatio in opere succedebat, sed præterea brevi animadvertēbam omnium, qui ex parte ejus stabant vel ab eo dependent, tergiversationem. Unde novo experimento experiebar: facilius esse ut læsus condonet lædenti, quam lædens læso. En fatum curiosum! duplici ratione mihi infestum, cujus simile vix unquam exstitisse credo, de quo, si publice ultionem capere vellem, exilio id mihi constare posset. Hinc paralysis manus mea si de rebus naturalibus scribendum est. Tempus vero, quod omnibus pathematibus medetur, etiam huic indignationi aliquam medellam successive attulit, et memoriam ejus rei debilitavit. Mone-